


*W 60*

Rubr. XVIII. Nro. 32. C.

**Gymnasial - Bibliothek**

zu Cöthen.

1783 - 1801



DE  
PRÆMUNITA DOCENDI  
FELICITER RATIONE,

---

ut Examen discipulorum indicaret suorum,  
VII. Apr. 1783. hor. VIII antem. habendum,  
scripsit  
**C. F. R. VETTERLEIN,**  
Rector schol. Cothen. ref.



COTHENIS,  
PRELO SCHOENDORFIANO.

Istue est sapere, non quod ante pedes modo est  
Videre, sed etiam illa, quæ futura sunt,  
Prospicere.

*Terentius.*

L 153,



Optima docendi ratio videtur ea,  
quæ tutissima est, seu quæ ad  
propositum dicit quam certissi-  
me; nulla autem est tutior, quam  
qua is, qui docetur, ad rem percipiendam &  
amplectendam ante instituitur & præparatur.  
Mentem ad res tradendas, potissimum quæ  
aut re vera, aut ex opinione hominum gra-  
ves sunt, ante imbuendam esse, ex legibus  
sequitur iis, quibus in cogitando tenetur,  
iisque certissimis. Nam si multæ adsunt ideæ,  
quæ similes sunt ei, quam mens iam accipit,  
adjunguntur ei, vimque addunt; paucis ve-  
ro sive nullis notionibus similibus si accedit,  
vim exiguum aut nullam habet; si denique  
contrariis, excluditur & ut falsa rejicitur.

2. Discere volumus vera: cumque contra  
veritates pugnare aliæ veritates non pos-  
sunt, nec a se invicem improbari, a falsis  
vero, sive erroribus possunt, hi eripiendi  
hominibus sunt; itaque in erroribus remo-



vendis necessaria ad bene docendum pars  
versatur. Non omnes quidem errores noxi  
sunt & perniciosi; imo sunt, qui nonnunquam  
usum habent \*), atqui ita res mortalium  
sunt, ut eis prospici aliter non potuisse vi  
deatur. Sed hoc docet, bene dijudicandum  
esse, quinam errores hominibus sint eripiend  
i, priusquam eis aliquid traditur; alias sie  
ri non potest, quin opera in evelendo er  
rore posita, eaque sane molesta plane pere  
at. Neque enim propter se ipsam quæren  
da est veritas, sed quoniam nos potest red  
dere felices. Imprimis opus est didicisse,  
quinam eorum errorum, quibus multi ho  
mines capti sunt, quique longe lateque sunt  
diffusi, tradendis veritatibus repugnant?  
Itaque cognoscere debes, quibus fundamen  
tis argumentisque veritates illæ nituntur,  
quibusve rationibus impellimur ad eas pro  
bandas: errores his rationibus inimici sunt  
removendi. Deinde errores vero noxios  
ut invenias, ejus, quem docere velis, men  
tem, cogitandi rationem, genera idearum,  
quas habet sœpius, earumque nexum, &, si  
possis, originem ut perspicias & cognita  
habeas, opera plurima danda est. Obser  
vanda igitur sunt quæ solet agere, tum  
quo-

\* Cette confiance, q' on a en sa fortune, fert souvent  
a donner du courage aux hommes & surtout aux  
soldats — — Ainsi les erreurs memes ont leur  
utilité quelquefois. Leibnitz.

quomodo, deinde quæ sœpissime, minimeque suspectus judicat & se sentire dicit, denique ea, quæ ex his possunt colligi; ac, si ex iis, quæ ille se sentire sive dixit, sive agendo ostendit, colligere velis, quibus opinionibus teneatur, nihil æque respiciendum est, quam lex illa idealium conexarum, sive notionum similium associatione. Si quis, quem vulgari ratione scis educatum, se abhorrire a tenebris locisque obscuris dixerit, nihil tam recte conjectare licet, quam ejus animo aliquam de spectris opinionem esse insitam. Cognitis igitur tali vel alio modo erroribus, jam possumus deliberare de iisdem removendis, viaque veritatibus, quas probatas habere volumus, munienda.

3. Nulla in re magis decet cautos esse, quam in oppugnandis erroribus, præsertim vulgaribus & cuivis probatis. Quantæ hac ex re turbæ rerumque mutationes ortum traxerint, annales temporum docent; quam diræ, e. g. hominum multorum miseriæ illam religionis mutationem, & vindicatam a superstitione Romana cogitandi libertatem, sive reformationem secutæ sint. \*)

\* 3

Ani-

\*) Regnante Maria superstitione Anglorum regina, ob religionis correctæ amorem, 177. in Anglia interfecti sunt. In provinciis vero Belgicis, post edictum



Animi quoque tranquillitatem hominibus turbat, qui eis statim errores sine dubitatione omnes vult eripere; credunt enim, fieri non posse, quin, his opinionibus remotis, veritates quædam & dogmata, quæ solatia spes, voluptatem præbere videntur, una sibi sint rejicienda. Nam id quod verum est, saepe solent homines ineptis & malis rationibus inducti pro vero habere.\* Maxime hoc sic est in hominibus non doctis, præsertim e plebe: quibus opiniones, quas habent aliqua ex parte falsas, non debemus reddere suspectas & dubias. Nam purioribus sententiis & philosophicis uti in quavis re non possunt; ne dicam, eos talia ne intelligere quidem. De rebus quibuscumque dubitare, hominibus non doctis damnum maximum est, utpote qui nesciunt, qua ratione veritatem quærere debeant. In scientia rerum quarundam, gradus est, ad quem

qui

edictum a Carolo V. contra Reformatores emisum, ob id 50000. hominum patibulis ferroque carnificis imperfecti, vivique partim combusti, partim in terram defossi sunt. In Gallia quoque numerus ita interfectorum fuit ingens,

\* „They (the reformers) denominated the pope antichrist, called his communion the scarlet whore, and gave to Rome the appellation of Babylon; expressions, which, however applied, were to be found in Scripture, and which, were better calculated to operate on the multitude, than the most solid arguments.,, Hume.

qui pervenit, cum eo pejus agitur, isque in majus discrimen adductus est, quam si eas res prorsus ignoraret. Mediocriter scire aliquando pejus est, quam nescire aut cum vulgo sentire. Semidocti in philosophia naturali eo venire possunt, ut vel omnem religionem tanquam non necessariam repudient. Cum enim quædam arcana naturæ retecta videntur, putant causas rerum omnium interiores plane posse perspici. Præterea is ignem subjicit hominibus, qui eis omnium, quos habent, errorum multitudinem monstrare non dubitat, quo irritatur eorum arrogantia & indignatio: & ita invisus feliciter docere non potest.

4. Igitur fundamenta, quibus falsæ hominum opiniones nituntur, ita evertenda erunt a) ut pugnare te contra opinionem aliquam gravem non appareat: hoc enim non minus licet, quam parvulis medicinam, quam fastidiunt, dare latenter; deinde b) ne statim erroribus nondum funditus evulsis, veritates exactas, nudas & quam purissimas, figurarumque ornatu quam maxime orbatas, proferre videaris. Sunt veritates, eæque fortasse non paucæ, quas, cum sunt nude propriisque verbis prolatæ, nec intelligere nec mente satis comprehendere multitudo potest,\*<sup>4</sup>) cui nec usus est cogitationum.

\* 4

sub-

<sup>\*)</sup> Exemplo esto hoc quod citamus verbis Lessingii, (Beiträge, I. p. 234), „Ein jeder muss seine Höl-



subtilium, neq; multarum rerum non vulgarium scientia, quæ ad sententias non vulgares cognoscendas opus est, quæ vero non nisi ex multorum temporum historia & rerum naturalium observatione hauriri potest. Homines non docti belle se habent cum sententiis suis quasi sensitivis, & per figuras imaginesque expressis, falsis licet notionibus intermixtis; nam ob eam ipsam causam, quod impropriæ & sensibus obviæ sunt, vim habent animumque tangere valent. c) Quæ vero opinionibus hominum nimis falsa sunt admixta, & quæ ad mala eos consilia seducere possunt, a veris separanda sunt. Quærendum est igitur, quo notionum genere, comprehendantur illæ opiniones vulgares: quod magis magisque socias & adhærentes separando perceptiones invenimus; tum si illam notionem latiorem viderimus esse veram, eam tenere, & aliis, quæ bona sunt, augere debemus. Quanquam inter vulgares hominum sententias non paucæ sint quam absurdissimæ: at quam paucissimæ (quæ quidem multitudini probantur) tam falsæ esse videntur, quæ non aliqua parte sensum habeant, qui potest ferri; quo reperto facilius erit, labefactare errores, & tradere vera. d) Præterea facile erit in eo, quem instituis

le noch im Himmel, und seinen Himmel noch in der Hölle finden. „Quod dicere τοις πολλοις, alienissimum esset.

stituis, ejusmodi notiones invenire veras, quæ erroribus ejus directæ vel indirectæ, scilicet per se, scilicet per alias contradicunt. Cum his igitur ideis, posteaquam novis argumentis eas confirmaveris, fac ut falsas suas opinio-nes conferat. Ita sua sponte, credere se pug-nantia, videbit. Denique enim cum homines plerumque falluntur, rerum, de quibus judi-cant, inscitia, operam non perdes, in re-rum cognitione, qua deficiunt, & sine qua non satis ab erroribus possunt liberari, au-genda eis & perficienda, positam. Sic opini-onibus superstitionis facilius potest eripe-re, quem quis edocuerit: nihil, quod fit, causa carere posse, & quam multa opus sint, ut testes in rebus vero non similibus pro-certis habeantur; quamque leves & impro-bi multi fuerint, qui testimonia de rebus magicis, etc. tulerunt. — In erroribus ta-men, qui bonis moribus sunt perniciosi, magnamque peccandi praebent licentiam, im-pugnandis non opus est plus iusto timidos esse. Nam sensus moralis non aequa habef-cere posse videtur, ac mens humana inter-dum obscuratur.

5. His, quae diximus, (3. 4. a. b.) ra-tiones inesse videntur, cur viri et ingenio et doctrina mediocres, in interioribus philo-sophiae recessibus non versati, et cum vul-go in rebus permultis sentientes, felicissimi tamen non raro fuerunt et sunt in suis labo-ribus



ribus, quos in instruendis hominibus, maxime non doctis et scientiarum ope non excultis, insumerunt; & cur eorum institutio coram habita, librique in lucem emissi, multitudini solent & utilissimi esse & amissimi. Similitudo ingenii fecit, ut viam ingressi sint popularem. Ita ut ipsi notiones rerum novas percepérant, aliis tradiderunt, & quomodo ipsi his novis perceptionibus fuerant affecti & moti, sic alios iis tangere & afficere potuerunt. — Neque se invisos reddidere impugnandis non providenter erroribus, quippe qui non nisi paulatim erroribus liberabantur; neque veritates statim quam maxime exactas propriisque verbis prolatas extulerunt, quippe qui earum naturam non penitus cognoverant, et qui opiniones aliqua tantum parte meliores, quam ceteri, habebant. Dictione denique et verbis utuntur quæ ingenio et consuetudini multitudinis apta sunt, ut pote qui verba usitata vel sola sciant, vel tradita & semel recepta religiose custodiant. — In subita & magna religionis et artium elegantiorum mutatione, qualis erat Saeculo XVI, in ætate artium inter Nostros liberalium Gottschediana et Gellertiana, et in Austria hoc etiam tempore, fuerunt ingenia ejusmodi, quibus contigit de multis bene mereri.

6. Ab erroribus excluduntur veritates, sed hae ut quam facillime recipiantur probentur,

benturque, utque animum possint movere et impellere ad virtutem, opus est sensu fano, molli et acuto. Ex sensibus oriuntur notiones; sensationibus opus est ad animum movendum: praecepta non semper sufficiunt; sensus denique quidam internus, quo de rerum convenientia, de pulchro, iudicamus, sive iudicium sensitivum, verum querentibus deesse non debet: saepius enim id, quod verum est, tenemus non distinctis rerum ideis, sed sensu quodam subobscuro.

Sensus igitur hi interni *ne hebescant*, opera danda est. Hebescere autem videtur in homine qui saepius interest spectaculis horribilis et cruentis, suppliciis, venationibus iis, quibus animalia cruciantur, pugnis gladiatoriis, etiam taurorum, aliisque id genus, quae humanitatis sensum imminuunt; praeterea in eo, qui amat ludos, in quibus lucrum quaeritur, qui mirum in modum sensum philanthropiae, mutuique amoris tantum non omnem extinguunt, etc. *Artibus vero eleganteribus* acuenda sunt honesti pulchrique sensoria; arte primum musica. Concentus enim sonorum perficit sensum ordinis et convenientiae in rebus quibusvis; atqui, cum veritates harmoniae quaedam et convenientiae sunt, facit ut facilius, quod in quaque re verum est, possimus sentire. Deinde vel maxime acuuntur studio poeseos, quae id, quod in rebus pulchris sensus ferit, phantasiae monstrat, et animum movet audientis. Igitur



tur qui ex hac arte fructum vult percipere, et ipse poëmata faciat ( et enim in hac arte non minus exercitatio valet, quam in alia quacunque elegantiore ) et poëmata legat, sed nulla nisi bona, qualia multa sunt Graecorum Romanorumque, in scholis legi solita: quibus legendis pulchri sensus ei perficitur — qui rejectis vastis illis commentariis, qui ad sensum obtundendum sunt aptissimi, dat operam, ut res intelligat; — qui artem observat, qua poeta affectus pingit, movetque, et ut auxilio dictionis numerorumque, ac dispositione rerum, animum afficit; — qui loca carminis sublimia cum vulgaribus locis et rebus confert; — qui si legit tristia et quae tenerum aliquem affectum tangunt, meminit rerum similium, si res autem comicas, ea in mentem revocat, quae naturae suae convenient; sique in caeteris, ea lege ut auxilio rerum similium dissimiliumve, iudicio de locorum, quae tractat, natura succurrat; — qui non fastidit, loca poematum in linguam suam pulchre vertere, nec, voce sonoque rebus apto recitare; — qui denique longiores semper carminum uno totas tenore pertractat partes, quae constant ex imaginibus a se invicem non separandis, quae non nisi comprehensae cogitatione, movent inflammantque animum, et sentiuntur, non tantum intelliguntur. Recentiora etiam carmina et scripta elegantiora non negligenda sunt sensum illum internum

num perficere volenti. Acriore sensu percipitur, quod in vernacula lingua est compositum. Nam hunc sermonem usu didicimus, et verba, cum sensationibus saepius conjuncta, cum audimus, sensa, quae iis exprimuntur, facile recurrent. Taceo, multas res in antiquis scriptis occurtere, sensibus nostris omnino nunc non obvias.

7. His de praemunienda docendi ratione sententiis liceat nobis addere pauca. Cum nulla res hominibus probatur absque rationibus, videmus, posse aliquid sine argumentis tradi, cuius scilicet rationes cuivis sunt obviæ, vel simul cum argumentis. Possimus tamen *sola etiam argumenta, cognitionesque rerum, ex quibus nova colligitur veritas, proferre, ne verbulo quidem ipsam tangentem;* atqui hoc mihi quidem in permultis videtur factu optimum. Nam si quis ea, quæ nova sunt et contraria receptis, ostentat tanquam paradoxa, homines sibi ab eis periculum metuunt, et collatione cum suis opinionibus non praemunitis facta, rejiciunt illa una cum argumentis vel firmissimis ad probandum, quoniam in errorem inducere videntur. Ita metendum, ut res, licet certissima, unquam recte intelligatur et probetur, rationibus, quibus nititur, condemnatis \*). Sed si argumen-

\*) Pro emendata linguae Germanicae orthographia ratio, de qua nemo, ne Gottschedius quidem dubi-



menta solummodo & res, ex quibus veritas nova elicetur, proferuntur & per vulgantur, rei melius consulitur. Primum, homines sua sponte verum inveniunt & colligunt ex iis, quæ jam noverunt, quod multo est utilius, quam subsequi sententias alienas; deinde non metuendum est, ut veritates ejusmodi male intelligantur & adhibeantur, quod saepe iis usu venit, qui prolata ab aliis amplectuntur: difficile enim est & otium postulat, rationum, quibus gravia, novaeque comprobantur, naturam perspicere. Tum hæc ratio violentas rerum mutationes creare non potest. Denique talis docendi ratio, veritatis abstrusæ & gravis cultoribus quorum numerus est exiguus, minus periculosa est. Gloriam quidem, qui ita agit, non ita subitam sibi comparabit, sed solida veraque dignus est.

### 3. Pos-

dubitaverat, premebatur hæc: litteræ signant vocum sonos, & scribendum est, ut enunciamus; sed cum vir quidam acutus fibique constans postularet: ex hac lege scribendum esse: *leben*, *Fund*, non *leben*, *Pfund*, homines, quibus hæc scriptura videbatur ferri non posse, argumentum illud ipsum improbarunt. Quid, improbarunt? imo contrarium statuerunt: pronunciandum ut scribitur. Itaque signorum convenientia non ex rebus, sed res ex ratione signorum dijudicanda sunt. Tabula e. g. geographicæ non bona est, quia cum regione convenit; sed regio bona est, quia respondet mappæ.

8. Possemus multorum maximorum vi-  
rorum nomina afferre, qui similem per præ-  
missa docendi rationem fecuti sunt, & in his  
Socratem, Grotium, Leibnitium, Lessingi-  
um. Socratis erudiendi methodus nostris  
nunc hominibus admodum laudatur & quo-  
modocunque imitatur. Philosophus hic in-  
comparabilis discipulorum suorum animum ad  
rem percipiendam ita solet imbuere & præ-  
parare, ut eis in memoriam revocet genera-  
liorem aliquam veritatem, quam quisque  
suo usu & experientia cognitam habet, &  
qua id, quod vult docere, tanquam species  
comprehenditur; deinde rem ipsam profert;  
denique ostendit hujus rei naturam, & po-  
stremo nexus & convenientiam cum pro-  
positione generali et jam concessa. Ad hanc  
docendi rationem opus est, ut cognoveris:  
primum quas notiones communes & opinio-  
nes homines & omnes, & singuli habeant;  
deinde studia & negotia singulorum; ex his  
enim notiones singulares gignuntur. \*) Præ-  
terea ut, quæ sint tradenda, habeas, doctri-  
na rerum opus est permultarum quæ facile  
hominibus sive utilitatem sive voluptatem  
afferunt; denique cum homines magis suis  
affectibus trahuntur, quam rationum vi,  
opera

\*) Πάντων, ανεγώ οιδα, μαλιστας εμελευ αυτω ει-  
δεναι, οτου τις επισημων ειη των συνοντων αυτω.  
Xenoph. Mem. IV. VII. 1.



opera danda est, ut possis monstrare, præcepta tua singulorum desideriis, spei, cupiditatibus, non esse adversa, sed convenire.

**E**x his juvenes, præsertim ex disciplina nostra, posse sunt videre, qualia sequi debeant præcepta, si & feliciter, & salva veritate, & ita ut nec sibi nec aliis turbas faciant, cives suos & maxime multitudinem, cui id multo magis opus est, quam vulgo creditur, docere volunt.

Scripsimus hæc, ut examen discipulorum, juvenum melioris indolis & ingenii, indicaremus. Loca ex Cicerone, Virgilio, Horatio, Terentio, Suetonio, Tacito, Homero, & de statuum Europæorum natura quædam reiterabunt, orationesque habebunt: *J. N. L. Hünerkoch, Kleinwülknitiensis, de tuenda valetudine, C. C. L. Biedermann, Cotheniensis, de laudibus Germanorum, uterque latinam & a se compositam; G. E. D. Hesius, Güstlinensis, de ratione librorum legendorum vagâ & solida quædam dicet germanice. Primus & secundus abituri in Academiam Auditores valere jubebunt.*

Optamus & rogamus, ut PATRONI scholæ, Amicique & artium & nostri, frequentes & æquo facilique animo hæc tentamina, has orationes, velint exaudire.



AB 155562

ULB Halle  
005 301 36X

3




Sb.

N



DE  
PRÆMUNITA DOCENDI  
FELICITER RATIONE,



ut Examen discipulorum indicaret fuorum,  
VII. Apr. 1783. hor. VIII antem. habendum,  
scripsit  
C. F. R. VETTERLEIN,  
Rector schol. Cothen, ref.

  
COTHENIS,  
PRELO SCHOENDORFIANO.

